De scilla: dissertatio inauguralis medica quam consentiente illustri medicorum ordine in Academia Georgia Augusta pro gradu doctoris medicinae ac chirurgiae publice defendet die IX. Novembris MDCCLXXXV / auctor Philippus Henricus Caspari.

Contributors

Caspari, Philipp Heinrich, 1762-Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Goettingae : Typis Jo. Christiani Dieterich, [1785]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/dzpm282h

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org

SCILLA

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

QVAM

CONSENTIENTE ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE

3 N

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE AC CHIRVRGIAE

PVBLICE DEFENDET

DIE IX. NOVEMBRIS MDCCLXXXV.

AVCTOR

PHILIPPVS HENRICVS CASPARI

SCHAVEMBURGENSIS.

GOETTINGAE
TYPIS JO. CHRISTIANI DIETERICH.

A I I DO

ANIGHM PARKYNVANI GIFATMAREN

ENTORO WYRARIONE (STEEL) II STEEL TO THE CO

ACADUMIA EEGROTA AVETSTA

MEDICAL RESIDENCES

Trestre source

CHALLPRYS HENGELS ONSPANI

THE S OF THE PROPERTY OF STREET

PATRI SVO OPTIMO

JVSTO FRIDERICO CASPARI

CONSILIARIO CAMERAE

HASCE STUDIORVM SVORVM PRIMITIAS

OMNI QVA PAREST PIETATE

SACRAS ESSE VOLVIT

FILIVS OBEDIENTISSIMVS

HENRICUS PHILIPPUS CASPARI.

Broscongus, Scalla a cassantise. ? . wiesen was allo 2 . augeopeore

betanion (b compared mot) (a mater oup of motored

Sed whereauth refert-nelle circeless class nomber

Community Wests wiebel; Lewis 200-1.5ht Manne Strend.

e. Diguon nonge ...

iograd; Belgies Zecainia

Scillae botanica confideratio: Classis. Ordo. Nomina.

Scillae Radix in officinis obuia debetur stirpi cuidam ad naturalem ordinem earum plantarum referendae, quas Coronarias vocat linnevs, Eques, a) Liliaceas adanson b). Haec ipsa in sexuali Systemate classi adnumeratur, quae ob stores hermaphroditos eorumque stamina sex neque coalita neque magnitudine discrepantia Hexandria dicitur, et quidem primo huius ordini, Monogyniae, qui pistillo vnico distinguitur.

Multa stirps nostra in vita communi obtinuit nomina: Graece Σκιλλα; Arabice Alaschil; Gallice Scille, A 3 Scille

a) Philos. bot. p. 28. Ord. 9. Gener. plant. ed. 6. Ord. 10.

b) Familles des plantes, Fam. 8.

Scille rouge, Oignon marin; Anglice Squill, Sea-onion; Italice Scilla; Hispanice Cebolla albatrana, Ceba marina; Germanice Meerzwiebel; Svetice Sjö-Lök; Danice Strandlögrod; Belgice Zeeajuin.

Sed plurimum refert nosse praecipua eius nomina botanica. Itaque $\sum ki \lambda \lambda \alpha c$) item $\prod \alpha \gamma k \rho \alpha \tau iov d$) vocatur a dioscoride, Scilla a caesalpino e), Weinmanno f), Scilla maior a theodoro tabernaemontano g), matthiolo h), Scilla hispanica a clusio i), Scilla russa magna vulgaris a jo. bauhino k), morisono l), Scilla vulgaris radice rubra a c. bauhino m), Scilla scilla scilla vulgaris radice rubra a c. bauhino m), Scilla scilla

SCILLA

- c) dioscorid. Oper. lib. 2. cap. 202. interpretatione SARACENI, p. 161.
- d) L. c. cap. 203.
- e) De plantis libri 16. cap. 10. lib. 8. p. 403.
- f) Phytonthozaiconographia s. conspectus plantarum.
- g) Neu und vollkomm. Kräuterbuch durch c. BAVH. verbessert 1731. Tom. 2. p. 1017.
- h) Opera ed. c. BAVH. p. 453.
- i) Histor. plant. rarior. p. 171.
- k) Hift. plant. Tom. 2. p. 615.
- 1) Plant. hiftor. vniuerf. Oxon. Tom. 2. p. 395.
- m) Pinax theatri bot. p. 73.
- n) Hift. 15.
- o) Instit. rei herb. p. 387.

Scilla maritima; nudiflora bracteis refractis. Linn. Syst. veget. ed. 14. venerandi praeceptoris, Equitis MVRRAY p. 328. Spec. plant. p. 442.

Descriptio.

Quo vero tanto melius stirps, de qua hic agitur, cognoscatur, characteres eiusdem vberius significare opus est.

Radix: Bulbus pyriformis apice sursum directo, pugni vel vltra magnitudinis, squamis carnosis latis ad latera attenuatis, supra obtusis, crassis, repandis, vestitus squamis exsuccis membranaceis lineatis, tenuibus, hinc ita iunctis, vt bulbus primo aspectu tunicatus appareat, basi sibras ramosas crassiusculas emittens. — Hanc bulbi descriptionem illustri myrray me debere tanto lubentius prositeor, quum rationem indicet, cur in plerisque libris bulbus tunicatus nec squamosus vocetur.

Folia omnia radicalia, lanceolata, stricta.

Scapus circiter sesquipedalis, erectus, teres, spica terminali instructus, soliis tempore prior.

Brasteae lineari-lanceolatae, refractae genu in medio, sursum flexae, subtus calcaratae, scapo adnatae et floribus sub-stratae.

Calyx nullus.

Corolla hexapetala, patentissima, decidua, alba.

Staminum filamenta sex, subulata, corolla dimidio breuiora;

Antherae oblongae, incumbentes,

Pistillum vnum. Germen subrotundum; Stylus simplex, lon-gitudine staminum, deciduus; Stigma simplex.

Pericarpium: Capsula subouata, glabra, trisulca, trilocularis, triualuis.

Icones. Duratio. Locus natalis.

are nitudinis. Flurinis Firme for that's of large are

Inter eos, qui iconibus hanc plantam illustrarunt, et quorum varios inter synonyma in medium protuli, praeprimis nominandi sunt martellivs in Horto Rom. T. 6. Tab. 93., vbi bulbus extimo velamento instructus depingitur et regnavit in Botánique mise à la Portée de tout le Monde Fascic. vlt. sub titulo la Squille, cuius quidem figura bulbum squamosum, nec tunicatum, sistit.

Duratione perennis est.

Crescit locis arenosis prope mare in Hispania, Lussiania, Normandia, Sicilia, Africa septentrionali, Syria. Nosmet eam in hybernaculis seruamus, vbi rarius in ollis sloret. Sed bulbus in cellis humidis et tepidis interdum spicam protrudit. Hic ob copiam succi viscidi et lenti sponte diu recens seruari in vsum medicum potest. Quotannis

4- Lingling the gurtchisulless

annis vero magna eius copia praecipue ex Hispania et Natolia aliorsum transfertur.

Varietates.

Duae ante omnia Varietates notari debent:

- a. Scilla bulbo rubro,
- B. Scilla bulbo albo,

ad quod discrimen et linnevs et botanici, qui eum tempore praecesserunt, probe attenti suerunt. Rubri bulbi maiores, albi minores esse solent. Rubedo autem modo externas tunicas serit, interne enim vtroque casu albae seu pallide virides sunt.

An virtute differant pro coloris diuersitate, de eo non satis inter medicos conuenit. Quidam perinde esse statuunt, quibus vtaris, vt cll. LEWIS p) et ALSTON q); alii rubros essicaciores pronunciant albis, annuente et LVDWIGIOr).

Quicquid sit rubri bulbi frequentioris vsus in medicina sunt. Squamae vero, ex quibus constatur bulbus, carnosae, inaequales, sunt, et dissectus succo viscoso repletus offenditur. Licet vero hodie in pharmacopoliis et bulbi suc-

History of Materia med. p. 531.

q) Lectures on the Materia med. Vol. I. p. 512.

v) Adversaria medico-prast. Vol. 2. p. 200.

cosi aliquando prostent: crebrius tamen sicci ad manus sunt. Hi ipsi occurrunt forma tunicarum oblongarum, subpellucidarum, fragilium. Fibras deorsum emergentes ante vsum rescindi, vix opus est, vt moneam.

Compendii causa in sormulis plerumque nomen radicis s. bulbi omittimus, et Scillae seu Squillae vnice nomine vtimur, quam scribendi breuitatem ego quoque hic adhibebo.

§. 2.

Odoris et saporis ratio.

Odore caret et radix recens, nisi quid simile rapis coctis vel Apio hortensi putes, et sicca. Sapor autem mucilaginosus est, amarus valde et nauseosus praetereaque insigniter acris. Siccatione perit acrimoniae pars, licet amarities eadem maneat.

Scilla Venenum.

Et haec quidem acrimonia Scillae locum ei inter venena assignauit. Notatum iam in Africa camelos, qui spinosa Eryngia passim auide deuorant, intacta relinquere viridia Scillae solia s); et mures t) quoque, et catum et cuni-

they being seeding that

s) LVDWIG 1. c. p. 698.

t) BERGII Mat. med. p. 265.

cuniculum u) radice periisse constat, aliis grauiter affectis; prout pasta farinacea, qua Scilla cocta suit, sues et pisces perdit. Verum in ipso homine deleterias vires exserit.

Etenim majori iusto dosi non solum nauseam sed vomitus intensissimos excitat et tormina, lotium sanguine tinctum, alui profluuia, conuulfiones, inflammationem et arrosionem ventriculi, quin ipsam mortem. Memorabile huius rei legitur exemplum de foemina quadam Helmstadiensi v), cui medicaster contra tympaniten tantum pulveris dedit, quantum cochlear integrum comprehendere posset. Vnde vero post dolores ventriculi acerbissimos, eiulatus, conuulfiones aliaque symptomata, mors, et aperto cadauere ventriculus inflammatus et ex parte arrofus exstitit. — Felicior euentus fuit in asthmatico x), qui ex errore drachmam vnam Scillae clysmati destinatam ingessit, vnde nausea et vomitus creberrimus, quo sopito in salutem aegri exanthema erupit in cute scabiosum, antea vitiose suppressum; sicque asthma plane disparuit. Scimus quoque aliquando, meretrices, ad foetum expellendum fortiori deiectione aluina, Scillam ingerere, quae si voti scelerati compotes fiant, propriam vitam non minus, quam innocentis infantis in periculum vertunt.

B 2

Et

u) HILLEFELD Diff. Experimenta circa venena, cap. 2. p. 12.

v) LANGE de remed. Brunsv. domest. p. 176.

x) MVZELLS Wahrnehm. 2. Samml. p. 35.

Et haec partim acri suo stimulo, partim resoluente vi insigni perpetrat. Quin tantae acrimoniae est, vt qui crudas et recentes Scillas tractant, vesiculas in manibus contrahant y).

S. 4.

Scilla medicamen.

Eiusmodi noxias vires exferit Scilla tam in fanis, quam in aegris, si modus exceditur. Id quod tamen, vt numerosissimis aliis exemplis constat, non prohibet, quo minus vtilis medicina existat, modo praeter dosin iustam et corporis conditionis scitus respectus habeatur. Hinc et, iam antiquitus celebrata, valdopere nunc praestantissimis medicamentis suo merito accensetur. Primus, qui ad rem medicam eandem applicuit fertur epimenides esse, qui tam frequenter Scilla vsus est, vt inde Epimenidea dicta sucritatem multis numeris antecellit inter veteres ista medicorum dioscoridis, hippocratis, galeni, aëtii, pavilli aeginetae, celsi, caelii avreliani, mesvës, serapionis, aliorum, qui sub multiplici forma a) in pluribus morbis chronicis eadem vsi funt.

y) VALENT. Hift. simpl. reform. lib. 2. fect. 2. cap. 34.

²⁾ HALLERI Bibl. bot. Vol. 1. p. 12. Bibl. pract. Vol. 1. p. 20.

a) swift. Comment. in Borrh. Aphor. Vol. 4. p. 259.

funt. Quid serioris aetatis medici de ea senserint, in tractation morborum, quibus auerruncandis conducat, postea significabo.

Horum vestigiis, hoc est experientiae, potius insistere operae pretium iudico, quam ex analysi chemica virtutes medicas eruere velle. Qua qui delectentur, hisce lectione eorum, quae jo. Henr. schylzivs b), carthevservs c), lydwigivs d) de hac reliquerunt, siet satis.

S. 5.

Forma qua adhibeatur. Praeparata praecipua.

Corpora, quibus noxia acrimonia inest, si medicamenti instar adhibenda, vario modo enitimur, vt aut praeparatione aut additamento quodam idoneo eam mitigemus, sicque medicamentum emergat, quo absque timore vti liceat.

Supra dixi, Scillam esse tanto acriorem, quo recentior est atque succossor. Vnde patet exsiccatione acrimoniam B 3 debili-

b) Dissert. examen chemic. radicis Scillae marinae, resp. MEDER, Hatae 1734.

c) Fundam. Mat. med. P. I. p. 145. 199.

d) Aduers. 1. c. p. 702. sqq.

debilitari e). Solet itaque ad normam Pharmacopoearum Londinensis f), Edinburgensis g), Sueciae h), Rossicae i) ablato externo eius cortice transuersim in taleolos tenues secta exsiccari. Fieri autem hoc debet leni calore, ne, dum mitius reddere medicamen conamur, vi omni exuatur. Sic sere vnice aquosa pars perit quae sericiter constituit totius radicis ponderis secundum experimenta cl. Lewis absque notabili saporis et virtutis iactura. Recte exsiccata friabilis est. Ea ideo Scilla siccata nati exoxno dicitur.

Praeter hanc praeparationis methodum alia adhuc crebro viu venit, qua scilicet Scilla integra pastae ex farina et aqua paratae inclusa in fornace coquitur et dein separatis inter se squamis in vmbra siccatur. Haec apud Londinenses nomine Scillae costae venit. Germanis hinc inde adhuc placet. Nam adhucdum eam commendant Wurtembergenses k) nomine Scillae praeparatae, probauitque expressius Lydwigivs.

Sed

e) Sic iam DIOSCORIDES l. c. "Scilla, inquit, vim habet acrem et vrentem. Attamen assata ad plurimos vsus accommodatur."

Deinde et exsiccationis varias methodos et coctionem cum aceto et coctionem cum melle enarrat.

f) Francof. 1761. p. 22.

g) Ed. cit. p. 77.

h) Ed. alt. p. 111.

i) pag. 115.

k) Ph. Würt. p. 173.

Sed reiecerunt eam cell. NICOLAI 1) et BALDINGER m), qui Scillam sic praeparatam nonnisi cadauer Scillae pronunciat.

Acetum, quod in vniuersum virus plantarum, siue acre fine narcoticum sit, corrigit et infringit, et ad Scillae praeparationem in hunc scopum, vt egregium menstruum vsurpatur. Scilla nimirum aceto per plures dies macerata, ita vt eius ad acetum proportio sit, vt 1:12, acetum decantatur, et sub aceti scillitici nomine seruatur. Hoc ipsum ad vetustissima praeparata pertinet n). Edinburgenses o) dicto menstruo tantillum spiritus vini tenuioris admiscent.

Quo magis adhuc acrimonia Scillae debilitetur, mellis dulcedine obuelatur, sicque Oxymellis scillitici nomine infignitur. Nempe aceti scillitici vna pars cum duabus mellis partibus coquendo miscetur p).

Simile medicamentum est Syrupus scilliticus q), qui saccharo in aceti scillitici sufficiente quantitate soluto paratur. Commo vulgacifima est naufes, in vonitues f

¹⁾ Systema Mat. med. ad praxin applic. T. 2. p. 286.

m) Medic. Journ. Vol. 1. P. 1. p. 27.

n) Vid. MATTHAEI DVRASTANTIS Libri de aceto scillino et de Alee, Venet. 1567.

o) Ph. Edinb. p. 102.

p) Pharm. Würtemb. p. 134.

⁹⁾ Ph. Edinb. p. 198.

Commodum quoque Scillae menstruum vinum est, cui nouam auctoritatem L. B. A SWIETEN r) conciliauit, de qua re infra pluribus agam.

Nec spernenda medicina est Essentia s) Scillae, quae constat ex aceto scillitico per sal tartari saturato, tum in mellis spissitudinem densato, dein spiritu vini rectificatissimo soluto.

Extractum aquosum in mellis densitatem redactum valde arrisit Lydwigio t). Extractum vrinoso menstruo, vt vocat joerdens u), factum, se adhibuisse optimo successu indicat, sed dolendum eum sub praeconiorum vbertate verum eiusdem praeparationis modum non significasse.

§. 6.

Quomodo incommodis a Scilla obuiam eatur? Dosis.

Qualicunque vero ratione, opportunitate data, exhibeatur Scilla, obuiam iri oportet molestiis, quas facile creat, quarum vulgatissima est nausea, in vomitum facile increscens. Ad hanc arcendam vel infringendum, nisi, quod rarius

r) Comm. in BOERH. Aphor. Vol. 4. p. 259. Maladies des armées, p. 163.

s) Pharm. Wurt. p. 84.

t) L. c. p. 104.

¹⁶⁾ Comm. noric. 1740. p. 225,

rarius, eam concedi fas sit, miscela aromatis valde conducit; quo fine Cinamomum, Zingiber, nux moschata, cortex Winteranus, slores Cassiae, cortex Aurantiorum, radix Serpentariae virginianae, Calami, Angelicae, Carlinae, Helenii et similia adduntur. Sunt qui ex vsu Scillae saeuos dolores contrahunt, imo, qui prae sensilitate nimia neruorum, vel irritabilitate nimia fibrarum muscularium, inde in conuulsiones incidunt: in hisce additamentum camphorae praecipue egregium est v), etiamsi non semper sufficiat. De aliis connubiis secundum indigentiam inferius dicendi commodior locus est.

Circa puluerem, qui omnium frequentissimo in vsu est, monendum, eum sensim amittere virtutes suas, vtut sollicite in vasis seruetur, hinc praestare recenter contusum praecipere. Et hic quidem commodissimum eatenus formam absoluit, quoniam in eo tam doss quam miscela adeo facilis est. Si modo sapori consulendum et curandum, vt moles pulueris maior siat, sufficit pulueri saccharum solum addere. Doss pulueris Scillae variare debet pro aetate viribus et natura morbi. Saepe sufficit granum vnum vel duo bis vel ter vel pluries de die; alii quinque vel plura grana absque vomitu ferunt. Puluis etiam in pilulis, modo non minus siccescant, in connubio extractorum, gummi-resinarum et similium

v) TISSOT Epistolae medico - prast. pag. 406.

dari potest. Ex dicta pulueris dosi varia facilius colligitur, quantum de praeparatis scilliticis aliis exhiberi possit.

In vniuersum suadendum, vt initium siat minori dosi, sensim ascendendo; id quod non solum ob naturam variam aegri requiritur, sed ob Scillae praeparatae diuersam essicaciam, quam nunquam nisi caute explorando comperies.

§. 7.

Quibusnam in morbis Scilla noceat.

Antequam vero virtutes egregias Scillae studio deditaque opera persequar, praeter dicta incommoda, nauseam puta, et vomitionem extra voluntatem nostram emergentem, alia commemorari debent, ne adhibeamus eam tum, quum ab ea abstineri consultius sit.

Soluit scilicet sanguinis crasin testantibus deiectionibus aluinis et vrina cruenta; hinc non confert, quando humores nimia tenuitate laborant, vt in sebribus putridis, in quibus socia tussis et oppletio pectoris ad vsum praecipue in oxymelle scillitico inuitant.

Prosternit praeterea facile vires ventriculi insigniter, cuius imperium in corpus notissimum est, vt inde vel interpolandi roborantia vel admiscendi necessitas compareat. Magis autem debilitatum illum iri, probabile, nisi cum acrimo-

acrimonia amarities iuncta esset, quam tamen neutiquam tanti facere queo, vt inde Scillam in caput roborantium cum meritissimo alias spielmanno x) transferre possem; quod fimile vitium videmus committi frequenter ab auctoribus librorum in materiam medicam, qui medicamina secundum vires disponunt.

Pereximie quoque vetuit iam Dioscorides y) suo tempore administrare eam praesente vlcere interno. Patet inde quantum noxae redundet ex oxymelle scillitico in phthisi vlcerosa, quod tamen liberali manu a multis medicis offertur, in qua tamen summa opera enitendum est, vt refrigeremus corpus, inflammationem tollamus et quemlibet stimulum a pulmonibus arceamus: hisce scopis Scillam esse maxime aduersam ob stimulandi suam vim, iam elucet 2).

Sic et abstineas ab ea, si scirrhus inueteratus grauat cum febricula: facile enim inde scirrhus enascitur. Patet inde in hydrope, cancri interni iam enati si indicia adsunt, esse vitandam.

Denique cautione infigni opus est in hominibus nimia fensilitate vel irritabilitate laborantibus. Sunt hi, quos nu-

perrime

x) Mat. med. pag. 228.

y) Loc. cit. pag. 162. "Cauendus Scillae vsus iis quibus est interna quaepiam exulceratio."

z) Conf. Fothergill in med. Obf. and Inquir. Vol. 5. p. 375.

perrime dixi, doloribus saepe post vsum affici item conuulsiuis motibus. Plura eiusmodi exempla memoriae prodiderunt cll. Tissot a), vnzer b), weikard c), qui proxime
dictus vir doctiss. casum adducit soeminae, quae ex Scilla
affectiones neruosas maxime singulares patitur. Denique
sponte cognoscitur, quoniam in vias vrinarias insigniter operatur, non conducere tum, quum iam ante lotium nimis
liberali riuo prosluit, vel si viae lotii inslammatae, sauciatae
vel exulceratae, sunt.

5. 8.

Generatim virtutes Scillae determinantur.

Quum iam vero ad morbos ipsos definiendos, quibus Scilla opitulatur, accedendum: in antecessum moneo, me nolle alios enumerare, quam quos vere sanauerit, parum curantem alios, quorum nomina hinc inde in compendiis adeo comparent, vel quos ex theoria Scillam sanaturam aliquis forsitan hariolari posset. Et in hisce quidem respectus habendus est summae eius in incidendo et attenuando tenaces humores potentiae et stimuli, quo solida vellicat. Specisicam vero vim in vias lotii exserit, illas ad secretionem vel excretionem vberiorem sollicitando, vt igitur instar vulgatissimi

a) Loc. cit.

b) Arzt, Vol. 12. pag. 157.

c) Verm. med. Schriften 1 St. p. 245.

tissimi diuretici sit. Nec minus peculiari in pulmones nisu opportuna in variis pectoris morbis videtur. Emetica pariter vis speciatim consideranda. Quin non omni side caret, in spasmis sedandis subinde valere. Vlteriori experimento constabit, anne contra vermes pluris facienda, quam hactenus sactum suit.

and ab monn sis mane (\$ no 9 noof sobnemit ecolorybyd to

concouring the win stands of the second

Efficacia Scillae in hydrope.

In omni hydrope aquosus humor in cauitate corporis quadam accumulatus est, sine aucto a laxitate seri assuxu, sine impedito illius resluxu prae vasorum renehentium obstructione. Itaque tria sunt praecepta, quae medici, vt hydropem sanandam curet, medendi rationem dirigunt:

- 1) Aquam euacuare;
- 2) Vasorum reuehentium obstructionem resoluere;
- 3) Partem laxam, hydrope affectam, roborare,

Iam patet ex supra dictis, Scillam ad medicamenta, quae tollendo huic morbo inseruiunt, esse referendam. Nimirum duobus satisfacit postulatis, quum et aquam euacuare valeat augendo lotii excretionem, et vasorum reuehentium obstructiones resoluere.

Optime autem minori dosi in hoc morbo adhibetur, ita vt modo lotium pellat, non diarrhoeam cieat. Et sic C 3 palmam

palmam praeripit omnibus, quae per aluum aquam expellunt, quippe quae abdominis viscera debilitando causam hydropis redeuntis relinquant. Quamobrem magni viri Scillam in hydrope commendarunt, vt remedium praestantissimum.

et hydropicos sanandos loquitur d). MEAD e), quum de diureticorum in hydrope praestantia loquitur, affirmat, ex radice Scillae parata omnium esse efficacissima. Foeminam f) hydrope, et ascite et anasarca laborantem, exhibendo potiunculam ex oxymellis scillitici drachma sesquialtera, aquae Cinnamomi vncia vna, spiritus Lauandulae cum syrupo corticum Aurantiorum ana drachma vna commistam curauit; conualuit illa sensim, et corpus ad pristinam integritatem rediit. cohavsen g) mulierem hebraeam, quae post scarlatinam sebrem neglecta diaphoresi hydrope corripiebatur, methodo simplici sibi consueta per insusum radicis Scillae cito, tuto, et iucunde persanauit. Et in aliis quidem casibus essicax hocce inuenit remedium, sed efficacius, ac in narrato.

d) Loc. cit.

e) RICHARDI MEAD monita et praecepta medica. Tom. II. Lond. 1773, cap. 8. de hydrope. pag. 17.

f) Loc. cit. pag. 13.

g) Commercium litter. noricum Vol. 12. hebd. 50. pag. 399.

narrato, nunquam. Et ipse monet, non in maiori dosi esse exhibendam, quum nauseam tunc excitet, anxietates, imo vomitum. IDEM h) puerum, qui post eandem sebrem, hydropem patiebatur, plerisque aliis efficacibus remediis aut frustra, aut exiguo emolumento tentatis, tandem infuso Scillae vinoso ita restituit, vt vrina copiosissime fluente, quae antea pauca quantitate, et oleofo-nigra, crassa emittebatur, sitis cessaret, aluus detumesceret, euacuatis vrinae aliquot amphoris. Refert postea, se radicis nostrae in serosis et oedematosis tumoribus crebro stupendos et non speratos effectus observasse, saepius per vrinam, aliquoties per aluum, deiectionibus aquosis, superabundantem materiam cum eupathia educendo. ALBRECHT i) fingularem pulueris Scillae compositi effectum annotauit. In sexagenario, qui hydrope et maxima spirandi difficultate vexabatur, omnibus frustra tentatis, tandem exhibuit pulneris radicis Scillae crudae grana octo, radicis Vincetoxici, Pimpinellae albae, Bryoniae, ana gr. quatuor, Nitri gr. quinque cum potu copiosiore iuris carnis macilenti. Post paucarum horarum internallum aegrotus, comitante vomitu, vehementi sebre correptus et mente alienatus fuit. Sumta vero potione diapnoica a meridie, aluo foluta largius, somnum tranquillum diuturniorem

h) Loc. cit. hebd. 10. pag. 75. 76.

i) Asta physico medica Academiae Naturae Curiosorum, Vol. X. pag. 303.

niorem expertus est, post quem febris non solum penitus cessauit et mens rediit, sed tanta quoque copia vrinae profluxit, vt intra viginti quatuor horas non folum omnis in toto corpore tumor disparuerit, sed viribus quoque, restituto nunc appetitu, post paucos dies auctioribus, consueta munera obire potuerit. Post trimestre spatium, mense Septembri idem puluis morbum redeuntem iterum fugauit. TISSOT k) radicem Scillae in multis hydropibus praestantissimum esse remedium agnoscit, si minori sumitur copia, vt vrinam modo non aluum moueat, et sic mira patrare; addit tamen ingenue: "nec omnia potest tamen, nec suis caret vitiis". CA-TANEVS 1) hydropis pectoris curationem describit, quam Squillae vsu feliciter persanauit. THOMPSON m) non negat, oxymel scilliticum, iis, qui hydropis pectoris speciem prae se ferebant, vtilitatem attulisse. Quicquid horum sit, cl. LENTIN n) tamen a scilliticis cuiuscunque generis in hydrope pectoris

- k) Epift. medico pract. pag. 406.
- 1) Racolta d'opusculi scientifici e filologici. Venezia Tom. 47, p. 234.
- m) Medical confultations on various diseases published from the letters of THOMAS THOMPSON. Lond. 1773. Vid. Vers. Germ. titulo medic. Rathpslege. pag. 208. Cfr. pag. 122.
- n) Beobachtungen der epid. und sporad. Krankheiten am Oberharze, pag. 119, not.

pectoris metuit. WERLHOF o) eximiam Scillae laudem tribuit. Nec minus platner p), Helvetivs q), unzer r), GARDEN s), SELLE t) aliique bene multi viri fide digni.

§. 10.

Continuatio argumenti de efficacia Scillae in hydrope.

Sed enucleatius paullo de vsu eius in hydrope agendum est. Diu placuit ad mitigandam acrimoniam Scillae addere Vincetoxici radicem; et etiamnum vbiuis occurrit in nostris officinis puluis huius miscelae, Puluis compositus stanlin dictus, ab helmontio forsan iustius vocandus, nec a stanlio vllibi, vt proprium inuentum, descriptus! Plane non dubito, additamentum hocce nullius esse pretii, et deriuandum

- o) Opera. Ed. cl. WICHMANNI, p. 811. "Scilla potentissimum remedium est, ad turgentes hydropicorum aquas, per vrinam euacuandas."
- p) Ars medendi singulis morbis accommodata, S. 567.
- q) Recueil des methodes etc. pag. 242. Sub titulo preparation du vin diuretique, infusi vinosi vsum valde commendat.
- r) Arzt 12. Theil. p. 156.
- s) Medical Commentaries by a Society of physicians in Edinburgh, T. III. p. 330.
- t) Medicina clinica, Berlin 1783. p. 627.

riuandum ex iis temporibus, quibus alexipharmaci versipellis vox in deliciis erat. Attamen vtrique a viris magni nominis u) additum fuit nitrum, quo tanto efficacius et tutius caperetur. Sic formula in actis academiae scientiarum Stockholmiensis legitur pulueris ex radicis Squillae granis tribus, Vincetoxici gr. quinque, Nitri gr. decem, ab ill. васк valde celebrata. Magis arridet folum Scillae cum nitro connubium; quum nitrum Scillae vim temperet et per fe lotium non moueat. swietenivs v) vero magis fauet infuso vinoso ex Scillae recentis vncia dimidia et vini boni libris duabus, cuius adulto homini vnciam dimidiam vacuo ventriculo propinauit, vnde leuis nausea absque vomitu et fubito magnum vrinae profluuium oritur, ita vt fummo levamine intra paucas horas librae fex, octo, duodecim, excernantur. Optimum fuit dosin ita moderari, vt nausea tantum absque vomitu sequeretur, nam vomitus diuresin minuisse visus est. Non reticendum tamen Tissoti x) obferuatum, quod nonnulli aegri vino huic affuescere nequiverint ob enormes vomendi conatus. Sine dubio is effectus non subsequutus suisset, addito aromate. Hinc probo Rvs-SELII

и) FR. ноffm. Med. syst. T. 4. P. 3. p. 346. васк in K. Vet. Acad. Handl. 1754. p. 316.

v) Vid. Supra S. 5.

x) Loc. cit. p. 411.

selii confilium y), qui infusum hoc cum aqua Cinamomi forti propinauit; item RICHARDI DE HAVTESIERK z), qui vna cortices Aurantiorum et Calami radices infundendas curauit; cuius generis formulas et ill. A störck a) tradidit; vt taceam connubium Scillae et ptisanae Juniperi, Gallis quibusdam laudatum, et a tissoto b) pariter probatum. Licet vero plerique vomitum arceri iubeant ob metum, ne diuresis inde minuatur: praecise tamen eam dosin Squillae requirit cel. Home c), qua emesis excitetur. Ex decem enim aegris septem sanati, et in hisce quidam larga vomitio subsequuta, tres non curati, quorum neuter vomuit; et haec curatio citissima suit praecipue aestate.

Quod ad acetum scilliticum attinet, reprehenditur d) quidem in eo, quod intolerabiles saepe anxietates excitet. Sed dubito id sieri: si dilutum aqua diuretica, vt Petroselini, in miscela salis alcalini e. c. Olei tartari per del. addito syrupo aromatico exhibetur.

Oxymel scilliticum vero multi ferunt, quibus reliqua displicent, et commode huic addi possunt alia adiuuantia vel corrigentia, nitrum, aromatica.

D 2

Bonum

y) De tabe glandul. p. 68.

z) Formul. med. p. 17.

a) Ann. med. Vol. 1. p. 162. Vol. 2. p. 285.

b) L. c. p. 410.

c) Clinical Experiments and Histories p. 387. sqq.

d) TISSOT 1. c. p. 411. Idem iudicium fert Lydwig 1. c. p. 705.

Bonum indicium est, si, Scilla propinata, lotium mox large fluit; pro malo autem habendum, fi sudor largior inde erumpit, tumque mox ab viu desistendum est e). Porro, ne aeger ex Scilla noxam contrahat, necesse est, vt medicus ad morbi genium et stadium respiciat. Minus conducit iis, qui temperiei calidae, biliosae, putridae sunt, in quibus e contrario acida et praeprimis cremor tartari requiruntur. Et si tantopere iam increuit morbus, vt hectica febre laboret aeger non potest non medicina, quae acrimonia sua neruos et vasa irritat, infesta esse, sebrem vehementer augendo. In ascite, si ardor viscerum, pulsus durus, hepar infarctum, saepe nocere illam, innuit cel. BERGIVS f). Nullus igitur vsus Scillae est, nisi adhuc solidorum aliquod robur superstes sit. Meminisse quoque oportet, non euacuandam vnice esse aquam collectam, sed et roboranda vasa debilitata et collapsa. Hinc praegressa diuresi, cortex Peruuianus mox subiungendus, vel aliquando Scilla et cortex egregie co-Initium igitur altero casu fieri potest decocto corticis cum oxymelle scillitico largius mixto.

§. 11.

Efficacia Scillae in asthmate pituitoso et tussi pituitosa.

In interna fistulae spiritalis eiusque ramorum per pulmones dispersorum membrana, magna copia latet glandularum

e) LVDWIG 1. c. pag. 718,

f) Mat. med. regni veget. p. 261.

larum mucum secernentium, qui per internum harum partium velamentum innumeris foraminibus defertur. Hic ipfe intimam totius asperae arteriae superficiem obducendo et obliniendo eam contra stimulum ab acribus particulis in aere natantibus et per inspirationem allectis tuetur, et vocem glabram, grate sonoram, reddit. Vti autem omnes, ita et haec secretio varia patitur vitia, et saepissime hoc, quod nimis augeatur, ita vt in pulmonibus quasi colluuies muci existat. Nonnunquam stagnat ille in suis cryptis, et, sensim iterum resorpta tenuiori parte, tenacior redditur. Talis maxime molestus vasis aëreis, eorum expansionem liberam impedit, respirationem facit difficilem, asthma gignit. Subinde colluuies in internum vasorum aëreorum cauum effusa producit sonitum ingratum vel strepitum, dum vel voces enunciandae sunt, vel respirandum. Et irritatur, a muci tenacis copia, asperae arteriae tunica neruea, eoque validius, si ipsi muco, vt in quibusdam huius morbi speciebus, ab acris materiei cuiusdam metastasi oriundis, perniciosa acrimonia inest. Inde necesse est, vt conuulsiua sibrarum carnearum contractio, perque hanc ipsam aëris inspirati vehemens explosio siat, quam tustim, et in praesenti casu, pituitosam, a causa dicimus. Vt medeatur vtrique malo, et asthmati et tussi, medicus, ante omnia-materiem pituitosam pulmones infarcientem resoluat, eoque talem reddat, vt screatu haud molesto sensim eiici possit. Id autem bene praestat Scilla,

D 3

inprimis oxymel squilliticum, in quo medicamine et mellis et aceti vires resoluentes Scilla in istis soluta insigniter acuit.

Iam dioscorides tusti vetere vexatis, suspiriosis, et ore reiicientibus Scillae linctum ex melle commendat g). Laudat Scillae efficaciam in asthmate FRIDERICVS HOFFMANN h), pluresque casus per partes enumerat, vsus connubio Vincetoxici in puluere. Vestigia eiusdem sequutus eodem successu Scillam exhibuit WAGNER i) initio quidem in miscela Vincetoxici, sed dein absque eo, vt nullum dubium sit, curationis meritum latuisse in Scilla sola, etsi nitrum admistum suit. In casibus ab hisce enarratis non vnice crasis pituitosa peccauit, sed potissimum spasticae indolis exstiterunt, vnde coniicere licet, vim quandam antispasmodicam Squillae insidere. Scite igitur addit HOFFMANNVS "Memorabilis Scillae videtur effectus, aliquot etiam aliis exemplis notatus, in spasmis et conuulsionibus partium praesentissime sopiendis, maxime catarrho suffocatiuo, asthmate conuulsiuo, quandoque

g) Loc. cit.

h) Medicina rationalis systematica Tom. 4. Part. 3. Self. 2. cap. 2. Obs. 3. qui casus idem est ac ille enarratus in schulzi Diss. de aegroto asthmatico vsu radicis Scillae subleuato in HALL. coll. Diss. prast. Vol. 2. p. 139.

i) EIVSDEM Observ. clin. Sect. 2. in HALL. collect. diss. pract. Vol. 2. p. 179.

in

etiam in ipsa epilepsia"; subscribente, quem laudaui, WAGNERO. HEISTER Oxymellis vsum asthmaticis commendat k). Ita et PLATNER 1) MEAD m) oxymel scilliticum laudat ad leuandam spiritus angustiam, interne sumtum, vt humores viscidos et tenaces resoluat. Et ad promouendam vlterius exscreationem commendat spongiam aceto scillitico calido madidam, naribus vel ori admotam, vt vapores inde emissi in pulmones recipiantur. mvzel n) vero casum asthmatis sistit ex retrogressa scabie suborti, sed Squilla curati. TISSOT o) soeminam asthmate, cephalalgia, agrypnia, et pedum oedemate vexatam oxymelle scillitico et cortice Peruuiano sanauit. Efficaciam in asthmate pituitoso pluribus et confirmat Lydwi-GIVS *). WEIKARD p) narrat, pilulas scilliticas Edinburgenses q) in specie frigidae tussis, quae a pituita tenaci infarciente oriebatur, saepe insigni vsui suisse. selle r) radicem Scillae praecipue in pectus siue pulmones vim exserere, et

k) Medicinisches Handbuch, p. 296.

t) L. c. S. 395.

m) L. c. Tom. I. cap. 10. de asthmate, p. 117.

n) Wahrnehmungen 2. Sammlung, p. 32.

o) Epift. cit. p. 407.

^{*)} Aduers. 1. c. p. 712.

p) Vermischte medicinische Schriften. Erstes Stilck p. 35.

q) Pharmacopoea Würtenb. Ed. cit. p. 140.

r) Medicina clinica, Berol. 1783. p. 627.

in pulmonum infarctibus pituitosis efficaciorem esse asserit. Sed in eo asthmatis genere, quod a veris nodis siue tuberculis glandularum conglobatarum siue lymphaticarum, quas oportet a glandulis mucum secernentibus modo dictis bene distinguere s), ortum trahit, a Scillae vsu abstineas: quum metuendum sit, ne acrimonia sua irritante, eorum inslammationem et suppurationem cieat, quae facillime superuenit. Monet igitur vnzer t), abstinendum esse a Scilla in hocce morbo.

§. 12.

Virtus Scillae in inflammatione pulmonum.

A pituitosa oppletione pulmonum ad inflammatoriam transeo, in qua pariter Scillae efficacia praeconio digna est. Sed nolo vltra oxymel scilliticum eius vsum in pleuritide et peripneumonia extendi, vtpote quum in hoc stimulus Scillae tantopere est cicuratus, vt nocere non possit, insignem tamen mellis resoluendi vim mirifice auget. Et hoc ipsum non modo, quando natura per sputa iudicationem molitur, prodest, sed et quando lente stasis discutienda est. Hinc in mixtura dilutum oxymel hocce per nychthemerum dedit haenivs u) ad vncias tres, aliquando et dupla quanquan-

s) HALLER Elem. physiol. Tom. 3. p. 150.

t) Arzt, Vol. 12. p. 157.

u) Rat. medendi, P. 1. p. 23.

quantitate. Nec vnquam copiosior vsus nauseas creauit, modo ptisana copiose simul biberetur. A lactis connubio autem sub eius vsu abstinendum. Tantum oxymellis scill. concessit Baronetus pringle v) in instammatione pulmonum, quantum serre posset aeger absque nausea vel alui purgatione. Cl. sarcone x) quoque inter essicacissima remedia ad sputa excitanda oxymel refert. Sed quid opus est testibus, quum quotidiana praxis optime hanc eius praestantiam confirmet.

profusion per vices printing vehementa, vude ad Scillaga

Efficacia Scillae in nephritide.

Iuncto resoluendi et lotium pellendi officio Scilla in nephritide opem sert. Excludere me hic istam, quae inflammatoria dicitur, sponte cognoscitur. Sed de duabus aliis speciebus doloris renum cum functione eorundem laesa hic sermo, scilicet de pituitosa et sabulosa; quae ambae eandem subinde ludunt scenam, vt nonnisi ex praegressis et subsequentis effluuii natura colligi queat, quaenam subsuerit. Iterum vnice verae experientiae nec argumentorum ludibrio insistendum.

a. Nephri-

v) Observations on the diseases of the army, Ed. 7. p. 143.

x) Geschichte d. Krankheiten in Neapel, Vol. 1. S. 175.

a. Nephritis pituitosa.

Quod ad nephritidem pituitosam attinet, memorabile eius exemplum sistit wagner y) soeminae, cui inter vulgaria, quae genus morbi determinant, signa, quorsum praecipue pertinet colica, cum lotio subruso, mucus secessit, in sundo matulae instar spermatis ranarum sluctuans, tantae tenacitatis, vt plurima pars vasi vrinario adhaereret, nec inuerso eo dimitteretur. Multis frustra tentatis aquae Sedlicenses et copiam et densitatem minuerunt, sed redit prosluuium per vices pristina vehementia, vnde ad Scillam consugere visum, cuius virtutem euentus extra dubium posuit.

b. Nephritis sabulosa.

Alia foemina, cuius IDEM 2) meminit, sub doloribus dorsi et stranguria vna cum pituita densa sabulum minxit vel lapillos magnitudine seminis Milii. Scilla contra hoc malum adhibita: vomitio inde et lotium copiosissime excretum cum amurca lotii et lapillis. Et hisce praeuiis, in gratiam cum sanitate omnino rediit. — Similis selicitas contigit virgini a), nephritide sabulosa insestatae, in qua tanta

y) L. c. p. 192, area ele lo mini la salt no molarrol (0

²⁾ L. c. p. 195.

a) L. c. p. 196.

vrinae

tanta copia sabuli delituerat, vt data Scilla quotidie lapilli lentis cicerisque magnitudine cum vrina excernerentur, idque factum absque dolore vllo vel intestinorum vel viarum lotii, per quas isti transmearunt.

S. 14.

Scillae vis in vrinae secretione et excretione impedita.

Multiplex causa exstat, quae vel secernendo lotio ex renibus, vel illi per inferiores vias, vreteres, vesicam, vrethram, excernendo, obstaculum praebet, quod vero nisi auferri possit, praeter hydropem, sebrem, soporem, asthma aliaque, partis, vbi vrina stagnat, destructionem, imo ipsam mortem, post se trahit. Secretionem saepe impedit crassior et pituitosa sanguinis diathesis, languor in motu, vitium in renibus ipsis, vt inflammatio, calculus, spasmus. Excretioni vero obicem ponunt fungi, scirrhi vel externe vel interne organa dicta claudentes vel comprimentes, pituita tenax, item calculus, stricturae spasticae, vrethrae collapsus, vesicae paralysis. In tanta causarum varietate manifestum est, ad lotium pellendum non vnum sufficere posse remedium, nec Scillam illis omnibus et singulis tollendis sufficere. Sed iam magni momenti est, quod aliquot mobiles easque recentes tollat. Huius loci est retentio illa vel suppressio E 2

vrinae, quae oritur ex pituitofo nimis fanguine, irritabilitate languente, vel paralytica partium diathefi, fabulo vel calculis minoribus stagnantibus.

S. 15.

Quid Scilla valeat in scorbuto?

Quod vero omnium minime credidisses, hoc est, quod in scorbuto infignis potentiae Scilla sit, in quo morbo vulgo folet accufari acrimonia fingularis, refolutio humorum et fibrarum laxitas. Non suppetit iam sententias diuersas de eiusdem genio inter sese comparare. Sufficit exploratam esse hanc vim indubiis, vt videtur, experimentis. HEVR-NIVS b) iam acetum scilliticum vt summum antiscorbuticum extollit. Pluris autem faciendum est iudicium cel. LIND c), qui oxymelle scillitico vtebatur, vnde effectum exoptatissimum se percepisse in scorbuto asseuerat; inde laxari aluum, promoueri lotii secretionem, leuari multa incommoda praecipue illa pectoris, a quibus scorbutici raro liberi exstant. Data huius vncia vna spatio nychthemeri cum insigni maxime leuamine. Non igitur nocent omnino acria in scorbuto, quod iam exemplo efficaciae Allii vel Cepae bulborum antiscorbuticae apparet; aliud vero concinnum exemplum

b) LANGE de med. Brunfv. dom. p. 177.

e) Treatife on the Scurry, Ed. 3. p. 222.

lati

plum suppeditat Sedi minoris herba d). Congruit cum hoc Scillae praeconio experientia summi werlhofii e), cuius verba, vt emphasis eorum mea culpa non extenuetur, sequentia sunt: "Inter scorbuti antidota Scilla ex praecipuis est, et sanguini eiusque sero liberiorem sluxum conciliat, et oris vitiis medetur, et neruos liberat solutosque excitat et, vti inter emmenagoga ita inter haemorrhoidagoga, vt hac voce vtar, eminet."

piramil to sturrour ner\$41 16. Lutingol simple single

nello allo morbo laborarunt, famiti funt. Sio et vetil sceri

Milli Minister Wis Scillae anthelmintica.

Non reticendum arbitror vestigium virtutis anthelminticae, quod Scilla prodit, licet fatear hactenus non ea
simplicitate contra vermes suisse exhibitam, qua opus, si remedii verum meritum aestimari debeat. Nominatim hic loquor de oxymelle scillitico. Fuit iuuenis f) cui quidem
vermes cucurbitini secesserant, sed ob affectiones quasdam
pectoris oxymel hocce cum insuso florum Sambuci dabatur.
Postquam hisce perrexerat per aliquot dies, purgans quoddam sortius porrigebatur, vnde taenia sex vlnarum secessit,

E 3

d) Vid. ill. MVRRAY Apparat. medic. Vol. 3. p. 344.

e) Litt. in ENGEL Spec. med. p. 164.

f) Vid. WEIKARD vermischte med. Schrift. 1 Stück p. 72.

lati corporis. Nec ill. A STÖRCK g) formae vnice medicamenti causa admiscuit medicinae sibi contra vermes vsitatissimae oxymel scilliticum. Vtitur nimirum sequente: R. Sal. polychr. pulv. Rad. Ialapp. Valerian. f. Phu aa drachmam vnam Oxymell. scill. vnicas quatuor. M. Huins miscelae advltis quater per diem vncia dimidia, iunioribus autem drachma vna aut duae, propinantur. Hoc vnico remedio, absque vllo vermium discrimine omnes qui praeter vermes nullo alio morbo laborarunt, sanati sunt. Sic et varii aegri a taenia insignis longitudinis liberati fuerunt, et lumbrici vomitu et aluo redditi. Quod ad taeniam, memini illustrem Equ. myrray mihi narrasse, se paucis praebiis eiusdem Störckianae miscelae eliminasse per os plures articulos Taeniae Solii apud foeminam, enato post medicinam captam vomitu; quibus ipsis vermibus cucurbitinis quum alternatim aquam frigidam et calidam infunderet, hi mox riguerunt, mox resuscitati sunt, nec nisi mortui eam figuram oblongam assunferunt, qua apud covletym sub falso ascaridum nomine de-Postquam lates perfecterat per aliquot dies, par munugniq

dam fortius porrigenatur, virde techia fex planting from

of the in encat Spec, nicht protect

4 to lett them manufally visited bill bill S. 17.

g) Ann. med. 1. p. 103. 164.

mattem excititants, or tespita Securifications comprisente.

murotnemanani hoVis Scillae emeticalde Inedad mituro

Rarissime accidit, quod Squilla emetico speciatim scopo praecipiatur, si quidem alia vomitoria suppetunt, quae tutius exhibentur, et absque sensibili ad linguam acrimonia neruos ventriculi, peculiari sensu instructos, vellicant. Interim pro infantibus tenellis non veremur praescribere oxymel scilliticum, in quo quidem, vt dictum, acre mitigatum est, ob sensilitatem neruorum sibrarumque irritabilitatem in hac aetate insigniorem sat tamen efficaciae superest ad emesin ciendam. Ingeritur hisce ad paucas drachmas aqua destillata exceptum, et iis infantibus tanto opportunius est, in quibus muci multum pectus grauat.

Scillae reuellendi potentia.

Licet vero plerumque per os vnice Squilla ingeratur, reuellendi tamen fine et per aluum in clysmate applicari solet, in hominibus adultis, ad drachmam vnam pulueris. Respicio hic praecipue ad vulnera capitis, in quibus cl. schmycker, h) in connubio aliorum commodorum, eam dicta via administrandam pluribus locis suadet. In hisce enim saepissime sunesta symptomata, et ipsa mors, nonnisi in lympha per commotionem inter tunicam arachnoideam et piam

matrem

h) Chirurg. Wahrnehm. Vol. 1. Casus varii et animaduersiones pag. 144.

matrem exorbitante, et tenella cerebri stamina comprimente, causam habent, absente aliquando graviori integumentorum vulnere vel intropressione s. fractura cranii. Ad hanc igitur lympham dissipandam omne studium intendas; cui fini, praemissa venae sectione, praeter fomentationes ex aqua frigida, aceto, nitro, fale ammoniaco, et clysmata stimulantia conducunt. Felix praxis edocuit, Squillam hisce commodum stimulum suppeditare. A mit bit av mohiop oup ni mootilion tem

ob femilliaten nervorum firerrorque irritabilitaten in hac actate infiguierent for tanten efficacine supercest an emelin clendant. - Ingerieur billon ad pances drachmas aqua defiiltall exceptants, or the follow that o perpertuning oft, its

and the second s

Licet werto pleaningue ner on white Equille ingefater,

revellendi tamen fine et pei alum in dyfinate applicari foreig to hominious adulties, ad drachinan vigeni pulueria.

Respielo bio praecipue ad volaera capitis, in quibus . scanyvores, a) in connuisio sliorium commodorass, eem dicha

via administrations plumbus locis tundet. In hiles cisins

frepilline functio fymptomats, et ipfa mors, nounifi it lympha per commotionem inter funicam arachmoideam et pram

mottem THESES.

THESES.

1.

Medicamenta sanis exhibita veneni vim habent.

II.

Calculi vrinarii varia natura; binc et lithontriptica non vnius generis requiruntur.

III.

In hirudinum contra ophthalmiam applicatione magna cautione opus est.

IV.

Semina vermium intestinalium nobiscum connascuntur.

V.

In febribus intermittentibus aliquando sine vlla corporis praeparatione vel euacuatione praeuia cortex Peruvianus adhiberi potest.

VI.

Febris puerperarum gastricae indolis est.

VII.

Gravidis magis convenire videntur euacuantia, quam venae sectio.

VIII.

Tartaro emetico, vii aliis praeparatis Stibii, vis antispasmodica inest.

IX.

Fumigatio cum Cinnabare ad luis venereae curationem periculosissima.

X.

Vultus interpres mentis est.

XI.

Sectio caesarea optime in linea alba instituitur.

XII.

In laesionibus capitis primarum viarum ratio sollicite babenda est.